



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Episcopalis**

**Piasecki, Paweł**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

De honestate vitæ & morumin ordinandis requisita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61608)

rentur postmodum, adhuc ista proles gaudebit iure legitimitatis. *c. cum inter. c. ex tenore. iun. gl. v. legitimum. Abb. ibid. num. 3.*

Limita tertio in illis quorū parentes in infidelitate existentes in gradu Canonibus prohibito contraxerunt, sic enim nati post conuersionem legitimi reputantur, & ordinari possunt, nisi ex alia causa prohibeantur. *c. fin. loc. cit. Host. in sum. ib. nu. 11.*

12. Limita quarto in illegitimis ingredientibus Religionem, iura enim Religionis fauore cum talibus dispensarunt. *c. 1. de fil. presb. Et licet Sixtus V. constit. sua incip. Cum de omnibus. de an. 1587. publ. die 27. Nouem. prohibuerit illegitimos ad Religionem recipi, eam tamen prohibitionem postmodum Gregorius XIV. alia sua constit. incip. Circumspecta. de an. 1590. Ibid. Mart. relaxauit, permittens arbitrio superiorum Regularium susceptionem illegitimorum ad statum Regularem.*

13. Limita quinto ad legitimatos per Papam, vel ab eo potestatem habentem, Papa enim legitimare potest quo ad omnes ordines, cum & possit dispensare in omnibus quæ sunt inducta iure positivo, ut communiter tenent. *DD. in cit.*

*c. per venerabilem. qui fil. sint legit. Episcopus autem dispensat quoad minores tantum ordines, & simplex beneficium. cap. 1. de fil. presb. in 6. ut dicemus paulo infra.*

Limitatur vltimò ut non procedat in infantibus vulgo expositis, isti enim præsumuntur pro legitimis & possunt ordinari. *c. cum deputati. de iudic. ibiq. Felin. num. 10. In dubio enim semper pro fauore prolis iudicatur. c. ex tenore. cit. qui fil. sint legit. Quin imò tales etiam si essent de seruilis conditione, consequuntur plenam libertatē. l. nemini. C. de Episc. aud. l. 3. & vl. eo. de infant. expos. cap. si expositis. 87. dist. iun. gl. c. vn. de infant. expos. ibiq. Anan. Gab. c. Pallest. de spurys. c. 63. à nu. 3 ad finem. vbi hanc sententiam multis probat, & communē esse testatur. Host. quoq. in sum. tit. cit. qui fil. sint legit. num. 8. refert eandem sententiam, licet magis inclinet in contrariam, ex ratione quod vulgo non exponantur nisi illegitimi, quod eo magis verum esset, si ex aliquibus coniecturis appareret expositū fuisse illegitimum. Et hæc Host. opinio tutior magisque practicatur, prout vidi sæpius in similibus expediri dispensationes in Romana Curia.*

## ARTICVLVS V.

### De honestate vitæ & morum in ordinandis requisita.

- 1 Infamis ordinari non potest.
- 2 Infamia quotuplex sit & quomodo contrahatur.
- 3 Arbitri sententia non inducit infamiam.
- 4 Seruitus qualis impediat ordines.
- 5 Homicidium quomodo inducat irregularitatem.
- 6 Iudex infligens pœnam mortis incurrit irregularitatem.

- 7 Homicidium committens in defensionem vite an irregularitatem incurrat.  
 8 Abortum procurans an incurrat irregularitatem.  
 9 Const. Six. V. de procurantibus abortum in quibus fuit moderata.

1. **V**ix probatæ sunt ad ordines assumendi. *Conc. Trid. cit. esp. 23. c. 5. 7. & 12. de res. c. Vinc etia 49. d. Unde infames, criminosi non sunt ordinandi. Et infamis dicitur, cuius status, vita & moribus est reprobatus. Angel. in sua sum. v. infamia. in princip.*

2. Triplex autem numeratur infamia. Facti, Juris, & Canonica. Canonica est, quæ propter quodlibet peccatum mortale incurritur. *c. fin. 25. dist. c. quoniam 48. dist. c. infames. 6. quest. 1. Sed hæc infamia sola pœnitentia tollitur. vt docet Abb. in c. ex diligenti. nu. 6. de sim. Vivald. & irreg. num. 105. nec de ea quis iudicari potest in foro exteriori cum sit occulta, tenetur tamen in conscientia habens peccatum mortale confiteri prius antequam ordines suscipiat.*

Facti infamia est, cum aliquis, apud bonos & graues viros infamatur, vel frequentatione criminum quæ non vno actu sed pluribus inducunt infamiam, vel vno crimine patrato, si ita iure sit definitum. Prioris generis possunt esse exempla, aleatores. *c. inter dilectos. de excess. prel. vinolenti & delicatè viuentes. c. ante omnia. c. Ecclesia Principes. 25. dist. seditiosi. c. seditiosarios. 46. dist. concubinas, seu fornicarias habentes. c. qui in aliquo. 51. dist. conuiuia facientes. c. multis. 44. dist. tabernarum frequentatores, mimis & histrionibus attendentes, vel eadem exercentes, in scæna ludentes. c. maritus. 33. dist. c. Clerici. 2. de vit. & hon. Cler. Item vsurarij. c. Clerici. 1. loc. cit. de vit. & hon. Cler. Item & exercentes artes sordidas. *Clem. 1. eo. tit. Sed hæc infamia cessat arte relicta;**

imò vt contrahatur requiritur actus frequentatus, & assuefactio, aliter enim vnus actus seu plures sine assuefactione non infamarent. *Innoc. in c. cum decor. loc. cit. de vit. & hon. Cler. vbi Abb. num. 2. vult binum actum sufficere ad contrahendam hanc infamiã, nempe si exerceantur causa lucri. arg. tex. in. c. ita nos. un. gl. v. vsum. 25. q. 2. ibidem Archid. & in c. illud dist. 12.*

Secundi generis infamiæ, nempe facti, exempla sunt periurium. *cap. quarelam. de iure iuran. homicidium, hæresis, simonia, adulterium. cap. qui in aliquo. 51. dist. & 1. quest. 1. per totum, & qui contrahit cum duobus, vel habet duas spõsas. l. quid ergo. ff. de his qui. not. infam. Idem de eo qui lenocinium exercuit, filias vel nepres prostituit. l. athletas. S. ait prator. lo. cit. & qui pugnant cum feris. l. 1. S. item senatus cons. ff. de postulando.*

Diximus autem apud bonos & graues viros debere in præmissis infamari quem, quando esset pro infami reputandus, nã dicta paucorum, & leuium personarum non inducerent talem infamiã. *Ang. lo. cit. num. 2. & requiritur quod sit infamatus ex vero delicto, si enim sola fama spargatur de aliquo, purgare se poterit & ordinari. Suarez. de cens. disp. 48. sect. 1. num. 19.*

Iuris vero infamia est, cum quis iudicis sententia vel ex genere delicti, vel ex genere pœnæ, vel simul ex vtroque infamis efficitur, vt cum pronunciat iudex aliquem esse adulterum. *l. palam. S. in adulterio. ff. de rit. nupt. vel vsurarium. c. infames. 3. q. 7. vel cum Princeps mittit quem in exilium, seu aliam pœnam infligit alicui, qua inducitur infamia. l. quod*

quod ait. ff. de his qui not. infam. cit. euidencior enim est infamia quæ ex pœna procedit, quam quæ ex sententia, Innoc. in cap. qualiter. de accus. idem dicendum de illo qui publica pœnitentia crimina defficit. cap. maritum. 33. dist. Qui verò factibus caduntur, si ob crimen à superiore, fiunt infames, si verò non ob crimen, nullam incurrunt infamiam. l. i. ff. de iur. cit. de his qui not. infam.

Et contrahitur hæc infamia iuris, etiam si non ferat iudex sententiam, dummodo reus confiteatur delictum. cap. testimonium. de testib. vel si ob crimen à testimonio quis repellatur. l. eos. ff. de decurion. Et notat gl. in cap. ipsi Apostoli. 2. quest. 7.

3. Arbitri autem sententia non inducit infamiam. l. quid ergo. §. ex cōpromisso. iun. gl. r. non facit. ff. lo. cit. de his qui not. infam. Collegimus autem hic infamias iuris ciuilibus & Canonici, quia ad paria iudicantur, & infamis in ciuili, est etiã infamis in Canonico. cap. omnes. 6. q. 1. Innoc. lo. cit. de accusat. Sed an restitutus ab infamia ciuili per Imperatorem seu alium Principem non recognoscentem superiorem possit promoueri ad ordines, videri potest Abb. in cap. cum te. num. 17. de sent. Et re. iud. Arm. v. infamia. num. 7.

Omnes itaque prædicti infames prohibentur ordinari. c. vlt. iun. gl. 25. dist. 6. omnes. 6. quest. 1. cap. vlt. iun. gl. v. notorium. Et v. iudicio comprobatum. de temp. ord.

4. Status & conditio personarum in ordinando etiam consideratur. Vnde serui prohibentur ordinari. 56. dist. per totum. Host. in sum. de ser. non ordinan. Ang. v. seruitus. Dicitur autem seruus qui iure gentium contra naturam subijcitur dominio alterius. Instit. de iure pers. §. seruitus. Sed quoniã huius generis seruitus

in tota fere Christianitate his temporibus non seruitur, plura de ea congerere esset superfluum, alia genera seruitutum si quæ sint videamus.

Et primo occurrunt serui originarij & adscriptitij, qui videntur ab ordinibus repellendi. Ang. loc. cit. nu. 2. Sed iura municipalia omnium fere prouinciarum Christianitatis, talibus concedunt licentiam ad statum Ecclesiasticũ aspirandi, vt in diuersarum Prouinciarum particularibus legibus videre licet. Aliud genus seruitutis est voluntarium cum quis voluntariè seruitijs alienis mancipatur. Et quidem vel publicis vel priuatis. Si publicis & in causis sanguinis, vt iudex criminalis, notarius licitor, miles, apparitor, procurator seu instigator, grauioris prohibitionis vinculo tenetur, vt infra alia occasione attingemus. Si publicis in causis ciuilibus, & perseuerat in officio quo fortè geritur cura miserabilium personarum, vt pupillorum cura, tutela legibus vel à iudice imposta; & talis promoueri potest etiam non deposito officio. c. peruenit. 86. dist. Si verò officium non sit cù cura miserabilium personarum, promoueri non debet nisi deponat officium. c. 1. Et seq. Et c. sed nec procuratores. Ne Cler. vel. Mon. vltra. etiam si officium deposuerit, remaneret tamen obligatus ad ratiotinia, promoueri non debet nisi redditis rationibus. c. praterea. 51. dist. Priuati verò alicuius seruituti deditus, si perseuerat promoueri non debet. 21. quest. 3. per totum. Si autem non perseuerat, sed remanet obligatus ex dolo vel perfidia, de qua illi questio fortè mouetur, vel si esset publicè infamatus, promoueri quoque non debet. c. omnipotens. de accusat. Host. in sum. de oblig. ad ratiot. num. 3. Innoc. in. c. magnus. eo. tit. Ang. v. ratiotinia.

Sequi-

Sequitur vt de criminosis aliqua no-  
temus, nimirum de homicidis, nam de  
alijs in genere supra iam attigimus.

5. Homicidæ itaque non possunt ordi-  
nari. *cap. 1. c. continebatur. c. de cætero.  
de homicid. ibidemq; DD. communiter.*  
Et sub hac prohibitionē quoad incurrē-  
dam irregularitatem continetur non so-  
lum homicidiū ipsum ex quo mors se-  
quitur, sed etiam abscissio membri, ita  
quod abscindēs membrum aliquod cor-  
poris humani, afficiatur irregularitate  
huius generis. *Abb. in. c. tua nos. S. ad  
ultimum. num. 7. de homicid.*

Dicitur autem membrum pars homi-  
nis distinctum officium habens, vt ma-  
nus, pes, non autem digitus qui potius  
est pars membri. *cap. fin. de homicid. in  
6. iun. gl. magna. Clem. vn. iun. gl. v.  
mutilet. eo. tit. Nau. loc. cit. num. 206.  
cap. 27. in man.*

Ampliatur vt procedat huiusmodi  
prohibitio in homicida tam iniusto,  
quam iusto. Iustus autem dicitur, qui  
dum homicidium facit licitè facit, vt est  
iudex qui fontem ad mortem condem-  
nat, & omnes illi qui lege permittente  
occidunt, vt occidens in bello iusto, bā-  
nitum, adulterum deprehensum cum  
uxore, matre, sorore, c. Clericum. 50.  
*dist. Sylu. in sum. v. homicidium. 1. quest.  
3. Vuald. de irreg. num. 294.* Similiter  
iudex recludens quem in carcere stricto  
& in angustia victus, ita vt verisimiliter  
inde mors acceleretur, incurrit irregu-  
laritatem sequuta morte. *Abb. in cap.  
cum non ab homine. in fin. de iudic.*

Amplia secundo ad illos qui non per  
se sed per alios exequentur homicidiū,  
vt qui mandat. c. periculosè de pœnit.  
*dist. 1.* vel qui auxilium, cōsiliū dat ho-  
micidio. *cap. sicut dignum. de homicid. c.  
si quis Viduam. 50. dist. sola tamen volun-  
tas non inducit irregularitatem. Abb. in*

*cap. si aliquis. num. 3. de homicid. Arm. 7.  
irregularitas. num. 10. neque ratihabi-  
tio. Suarez. de cens. disp. 44. sect. 3. nu. 24.  
præsertim si quis ratum habuerit homi-  
cidium, quod non fuit factum nomine  
ipsius, neq; enim potest verè ratū haberi  
ab aliquo quod non fuit factū nomine  
ipsius. cap. cum quis. de sent. c. excom. in 6.  
Nau. cons. 36. num. 6. de homicid. in antiq.  
Neque commissio generalis ad exercē-  
dum iurisdictionem criminalem: vt si  
Clericus habeat iurisdictionem tem-  
poralem, potest absque metu irregulari-  
tatis committere alicui causas crimina-  
les. cap. fin. ne. Cler. vel Mon. in 6.*

Amplia tertio ad illum qui causam  
dat homicidio, vt si quis venenum præ-  
bet, maleficijs inficit, abortum procurat  
fœtus animati, canem incitat, ex cuius  
morsu mors vel mutilatio sequitur.  
*Suarez. loc. cit. num. 5.* Causa tamen de-  
bet esse proxima & directa ad homici-  
dium immediatè non autem remote.  
*Abb. lo. cit. in cap. de cætero. & est exem-  
plum de illo qui dat arma eunti ad bel-  
lum, & de illo qui dat arma pugnanti in  
ipso feruore pugne, primus enim excu-  
satur ab irregularitate, licet sequatur  
homicidium, secundus verò non excusa-  
tur. Sū. Syluest. v. homicidiū. 2. & Tabiè. v.  
irregularitas. 2. Nau. lo. cit. c. 27. a nu. 206.  
ad 218. Suarez. lo. cit. disp. 45. sect. 2. & 3.*

Amplia quarto ad illum qui casua-  
liter & nolens occidit, sed rei illicitæ  
operam dando. *cap. continebatur. de ho-  
micid. vel etiam si dederit operam rei li-  
citæ, sed non adhibuit debitam diligē-  
tiam. Abb. in eod. cap. continebatur.*

Amplia quinto ad Consiliarios, No-  
tarios, aduocatos, procuratores, im-  
pugnantes rerum qui postea ad mortem  
condemnatur. *gl. magna. in cap. 2. dist.  
51.* Item & lictores, apparitores, custo-  
des, & omnes qui iudici siue in ferenda,  
sue

sive in exequenda sententia operā præstant, seu assilunt, seu comitantur armati, vel authorizantes dum quis capite punitur ad effectum ne effugiat. *cap. 2. 51. dist.* Qui vero assilunt non cooperando, licet peccent, nimirum Clerici quibus hoc est prohibitum. *cap. sententiam. ne Cler. vel Monach. cap. ex literis. de excess. præl.* irregularitatem tamen non incurrunt. *Victor. de Sacram. ord. nu. 239. Nau. lo. cit. Suarez. lo. cit. dist. 47. sect. 5. nu. 10.*

Amplia sexto ad illos qui furem seu alium malefactorem iudici tradunt, vel detinent donec apprehendatur, isti enim irregularitatem incurrunt si sequatur mors, nisi fuerint potestati quod velint solum agere civiliter, & quod nolint mortem ipsius. *cap. prelati. de homicid. in 6.* & qui ligat aliquem quo facilius interficiatur. *Abb. in cap. suscepimus. nu. 2. lo. cit. de homicid.* vel qui circa executionem iustitiæ aliquem actum facit quo facilius mors sequatur, ut si hortatur quis ministrum iustitiæ quo mortem acceleret, vel ensem acuit, scalam, funes, & similia instrumenta quibus mors paratur subministrat. *Nau. lo. cit. num. 238. Suarez. lo. cit. Victor. lo. cit.* vbi tales excusat ab irregularitate si faciunt actum aliquem præmissorum bona fide, & non intendendo accelerationem mortis; sed in dubijs huiusmodi securius est ut præsumatur irregularitas in foro animæ, licet secus sit, si agatur de impositione pænæ in foro contentioso. *Abb. in cap. ad audientiam. num. 3. & in cap. significasti. 2. num. 4. lo. cit. de homicid.*

Ampliari posset septimo ad illum qui ira vel desperatione ductus violentas manus sibi iniecerit, & membrum aliquod sibi absciderit. *cap. qui partem. cap. si quis absciderit. cap. hi qui. 55. dist.* Non tamen fieret irregularis huius generis, qui hoc faceret ex necessitate, ut ob vi-

tandum morbum ex consilio medici hoc enim casu excusatur tam ipse quam medicus & Chirurgus membrum abscindens. *cap. si quis a medicis. cap. si quis in infirmitate. dist. 55. cit.*

Limitatur autem ut non habeat locū hæc irregularitas in casu cum aliquis occidit in defensione vitæ propriæ. *Clem. vn. de homic. Couar. latè super eadem. Clem. vbi diffusè tractat hanc materiam.* In defensione tamen hac seruari debet moderamen inculpatæ tutelæ, ita quod defendens occidat, eo quod nec fugere nec alio quouis modo se defendere possit; potius enim debet fugere quam occidere præsertim Clericus. *Abb. in cap. suscepimus. num. 4. loc. cit. Nau. lo. cit. Vivald. de irreg. num. 225.* qui notat defensionem tum excusare ab irregularitate, cum illam præcesserit periculum. ad hoc *Suarez. loc. cit. dist. 46. sect. 1. num. 7.* vbi deducit quæ dicenda sūt moderata defensio. In defensione autem bonorum occidens, non excusatur ab irregularitate, potius enim debet pati iacturam bonorum quam occidere. *Abb. loc. cit. num. 3. & in c. interfecisti. num. 4. ibid.* Similiter & occidens in defensione vitæ Patris, Matris, Vxoris, Liberorum, nō excusatur ab irregularitate, licet secundum leges licitè defendat & sine peccato, irregularitas enim etiā sine peccato quandoque incurritur. *glo. fin. in cit. Clem. vn. de homicid. Abb. ib. nu. 9. Couar. ib. p. 3. S. vn. Arm. v. irregularitas. num. 41. Nau. lo. cit. num. 213.* Hac ratione & in defensione bonorum Ecclesiæ occidens non excusatur ab irregularitate, licet defendere teneatur. *Abb. in cap. significasti. num. 2. de homicid.*

Limita secundo ut nō incurratur irregularitas, si infās occidat, vel existēs in frænesi, vel dormiens *Clem. cit. de hom.*

Limita tertio in illo qui occidit ante-

F quam

quam fuisset baptizatus, post baptismum enim non remanet talis irregularitas. c. si quis viduam. in gl. v. post baptismum. 50. dist. Nau. Victor. lo. cit. Abb. cap. presbyterum. num. 2. de homicid.

Limita quartò in illo qui debilitauit membrum alterius, ita vt illo amplius vti non possit, non tamen abscidit; nã licet sic debilitatus ex defectu membri efficiatur irregularis, debilitans tamen non incurrit irregularitatem. Abb. in Clem. 1. num. 7. de homicid. Nau. lo. cit.

3. Limita vltimo, vt non procedat si occidatur homo nondum completus, vt si quis procurat abortum antequam fetus anima rationali informeretur, quod accidit in mare post dies quadraginta, in foemina post dies octuaginta à conceptionis die. Abb. cit. in cap. si aliquis. in fin. de homicid. non incurrit enim talis irregularitatem, licet peccet grauiter. cap. sicut ex literarum. de homicid. cap. quod verò. cap. Moyses. 32. quest. 2. & si dubitetur num fuerit masculus an foemina, praesumendum esse de masculino, vult Nau. conf. 22. de homicid. in antiquis.

Et licet Six. V. constitutione sua incip. Effrenatam. procurantes abortum etiam fetus inanimis, vltra alias poenas irregularitatem incurrere decreuit, hæc tamen constitutio cum suis poenis quoad foetum huiusmodi inanimatum moderata fuit, & reducta ad terminos iuris communis, à Greg. XIII. quæ constitutiones cum vltra dispositiones iuris antiqui, aliquas poenas de nouo cõtra causantes abortum, contineant, & in multis vlti esse possint, eas hic subiunximus. ea Sixti V. est vt sequitur.

**E**ffrenatam perditissimorum hominum. & infra. Omnes & quoscunq; tam viros quam mulieres, cuiuscunq; status, gradus, ordinis & conditionis, et-

iam clericos saculares, vel cuiusuis ordinis regulares quauis dignitate, & pre-eminencia Ecclesiastica vel mandana fulgentes, qui de cetero per se, aut interpositas personas, abortus, seu fetus immaturi, tam animati, quam etiam inanimati, formati, vel informis electionem procurauerint, percussionibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus, laboribusq; mulieri prægnanti impositis, ac alijs etiam incognitis, vel maxime exquisitis rationibus, ita vt re ipsa abortus inde secutus fuerit, ac etiam prægnantes ipsas mulieres, qua scienter præmissa fecerint, poenas tam diuino quam humano iure, ac tam per Canonicas sanctiones, & Apostolicas constitutiones, quam ciuilia iura aduersus veros homicidas, qui homicidium voluntarium, actu, & re ipsa patrauerint, propositas, & inflictas, (quorum omnium tenores his nostris litteris pro expresso & ad verbum insertis habemus) eo ipso incurrere hæc nostra perpetuo valitura constitutione statuimus, & ordinamus, ipsaq; poenas leges, & constitutiones, ad casus præfatos extendimus. Eos verò qui Clerici fuerint, omnè priuilegio, officijs, dignitatibus, & beneficijs Ecclesiasticis, qua sic vacatur a nostra, & Sedis Apostolica dispositioni perpetuo reseruamus, ipso facto priuamus, & in futurum inhabiles ad ea suscipienda decernimus; adeò vt illi qui hoc delictum commiserint, non secus atq; y qui sua voluntate homicidium perpetrauerint, iuxta Conc. Trid. decreta, etiam si crimen id nec ordine iudiciario probatũ, nec alia ratione publicum sed occultum fuerit, ad sacros Ordines promoueri, aut in susceptis ordinib. ministrare, nullo ma-

do possint, nec illis aliqua Ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat, sed omni ordine ac beneficio, & officio perpetuo careant; nec non & illos qui Clerici non fuerint, & talia perpetraverint, non solum penas incurrere supra narratas, sed etiam inhabiles ad Ordines, & alia predicta discernimus, & declaramus. Volentes quod hi, qui foro Ecclesiastico subiecti, ut praefertur, deliquisse comperti fuerint, per iudicem Ecclesiasticum depositi, & degradati, curia & potestati seculari tradantur, qua de eis illud capiat supplicium, quod contra Laicos verè homicidas per Diuinas leges ac ciuilia iura est dispositum. Praeterea eisdem penas teneri omnino statuimus eos, qui sterilitatis potiones, ac venena mulieribus propinauerint, & quo minus factum concipiant, impedimentum praestiterint, ac ea facienda & exequenda curauerint, siue quocumque modo in his consuluerint, ac mulieres ipsas qua eadem pocula sponte ac scienter sumpserint. Quocirca mandamus vniuersis & singulis iudicibus ordinarijs & delegatis, tam Ecclesiasticis quam secularibus, quibus contra criminum reos, etiam quo ad causas huiusmodi de iure, vel ratione delicti aut personarum legitime competet iurisdictio, ita tamen ut inter eos praeventioni locus sit, ut in his delictis, qua ut plurimum occulto perpetrantur, contra quoscumque non solum per accusationem & delationem, verum etiam per inquisitionem, & simplicem denunciationem procedant, ac ad illa probanea testes alias de iure inhabiles, eorundem tamen iudicium arbitrio habita ratione personarum, causarum & qualitatum illarum, ac circum-

stantiarum quarumcumque, admittant, ac in eos qui culpabiles fuerint, prout per nos scriptum est, demum animaduertant. Insuper ut immanissimi huius delicti grauitati, non solum temporalibus verum etiam spiritualibus penis prospiciamus ac prouideamus: omnes & singulos cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis existentes, tam Laicos quam Clericos seculares, & cuiuscumque ordinis regulares, nec non mulieres seculares vel quemcumque ordinem professas, qui, vel quae, vel ut principales, vel ut sociae consciaue, ad tale facinus committendum, opem, consilium, fauorem vel alia cuiuscumque generis medicamenta scienter dederint, ac etiam scribendo literas priuatas, vel apochas, vel alias verbis aut signis iuuerint, aut consuluerint, ultra supradictas penas ipso facto, nunc prout extunc excommunicamus & pro excommunicatis declaramus. Decernentes ac declarantes quod per quacumque Iubilaea & indulgentias per nos & successores nostros etiam anno Iubilaei, aut alio quouis tempore, etiam Cruciatum sanctum, Iubilaei, vel quouis alio titulo concessas, & concedendas, nec non per quascumque litteras Apostolicas quibusuis Principibus, seu ad eorum instantiam per nos & successores nostros pariter concessas, & concedendas, ac etiam vigore priuilegiorum mare magni, vel alias quomodolibet nuncupatorum, quibusuis congregationibus Regularium aut Episcopis, vigore Conc. Trid. vel alias per nos & praedecessores nostros quomodocumque concessorum, vel in futurum concedendorum, nec persona sic ut praefertur delinquentes & excommunicata, praeterquam in mortis articulo, absolui valeant, nec cum ijs Clericis, qui huiusmodi delicta perpetraverint, etiam si eorum crimen occultum



fuert super irregularitate præmissorum occasione contracta, nec per locum ordinarios, nec per alios quauis auctoritate fungentes quam per nos & Rom. Pont. nostros successores, & tunc non nisi urgentissimis de causis dispensari possit. Ac tam absoluendi quam dispensandi facultatem huiusmodi, etiam quo ad forum cōscientia in casibus superius expressis nobis & successoribus nostris duntaxat reseruamus, stauentes sic in præmissis vniuersis & singulis, per quoscunq; iudices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatij Apost. & S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, in quauis causa, & instantia iudicari & definiri debere. Irritusq; & inane &c. Non obstantibus, &c. Dat. Roma in monte Quirinali. Anno Incarnationis Dom. 1588. 4. Kalend. Nouemb.

**TENOR AVTEM GREG.**

**XIV.** Constitutionis qua moderatur præmissa Sixti V. constitutio est vt sequitur.

**S**edes Apostolica & infra. Dudum siquidē fel. recor. Six. Papa V. prædecessor noster iustitia zelo accensus, contra procurantes abortum fœtus tam animati quam inanimis, eiusque grauissimi sceleris participes, & adiutores, nec non contra eos qui mulierum fecunditatem impedirent, & sterilitatis portiones, seu veneni præberent, constitutionem edidit sub. Dat. 4. Kal. Nouemb. Pont. sui ann. 3. per quam vltra diuersas spirituales & temporales pœnas, etiam inter alia excommunicationis sententiam contra eos promulgauit, sibiq; & successoribus

suis tantum absoluendi facultatem reseruauit, prout in eadem constitutione plenius continetur. Cum igitur postmodum experientia docuerit, ex remedio huiusmodi, non eam qua sperabatur utilitatem & fructum prouenisse, verum potius multis Satana malitia ad peccandū inducū, difficiliori, ob soli sedi Apost. reseruatam absoluendi facultatem reddito ad pœnitentiā aditu, eos à nefarijs huiusmodi flagitijs perpetrandis non solum non retraxisse, sed etiam plurimorum sacrilegiorum grauissimorumq; peccatorum, & scelerum occasionem dedisse. Nos igitur animaduertentes gladium Ecclesiastica disciplina, præsertim q̄ oad censuras & pœnas spirituales ita exercendam esse, vt ad medicinam tenderet nō ad perniciem animarū, verumq; Pastorem cuius vices in terris gerimus, quantum diuina eius gratia adiutrice possumus imitari volentes, qui venit animas hominum saluare non perdere, neminiq; quantumcunq; grauiter & enormiter deliquerit, viā salutis præclūsit, quin potius ad eam assequendam copiosè remedia adhibuit, ac nobis reliquit; & simul vtilius censes, vbi nec de homicidio, nec de animato fœtu agitur, pœnas non imponere duriores his, qua per sacros Canones, & leges prophanas sunt inflictæ.

Habita super hoc cum venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus super negotijs & consultationibus Episcoporum deputatis, matura deliberatione, de eorum cōsilio, constitutionem prædictam sic duximus moderandam, vt à peccato, & excommunicatione contra personas ibi expressas lata, tam quo ad eos, qui

qui hactenus deliquerunt, quam quoad illos, qui post nostram constitutionem in eisdem casibus deliquerint, quilibet praesbyter, tam secularis, quam cuiusvis ordinis regularis, ad Christi fidelium confessiones audiendas per loci ordinarium approbatus, plenam & liberam in foro conscientiae tantum, absoluendi habeat facultatem eandem prorsus, quam idem Six. praedecessor sibi ac suis successoribus reseruauit. Quo vero ad poenas procurantium abortum foetus inanimis, aut exhibentium mulieribus, vel sumentium venena sterilitatis, aut quocumque modo auxilium, vel consilium eis dantium, in praedicta constitutione contentas, Constitutionem praefatam in ea parte ubi de his agit ad terminos iuris communis, ac sacrorum Canonum, & Concilij Trid. dispositionem auctoritate Apostolica tenore praesentium, tam quo ad praeterita, quam quo ad futura, perpetuo reducimus, perinde ac si eadem constitutio in huiusmodi parte nunquam emanasset. Non obsta-

tibus eadem praedecessoris nostri constitutione, qua quoad reliqua omnia, praeter contenta in hac nostra constitutione, in suo robore omnino permanere volumus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium transumptis Notarii publici manu subscriptis & sigillo Praelati Ecclesiastici munitis, eadem prorsus fides habeatur in iudicio, & extra illud, quae eisdem originalibus haberetur exhibitis, vel ostensis. Nulli ergo. &c. Datum Roma in monte Quirin. Anno Incarnat. Dominic. 1591. prid. Kalen. Iun. Pontif. anno primo.

Vnde notandum relatum Const. Sixti V. circa foetus animati abortum, moderatam esse quoad absolutionem peccati & excommunicationis; quoad reliqua vero ibidem expressa, ut inhabilitatem, priuationem, degradationem, poenas in Concil. Trid. contra homicidas voluntarios decretas, remanere in suo vigore. Quoad abortum autem foetus inanimis in toto esse reductum ad terminos iuris communis.

## ARTICVLVS VI.

### De Corpore vitiatis, Bigamis, Inuitis non ordinandis.

- 1 Corpore vitiatus quis dicatur.
- 2 Oculorum defectus qui impediunt ordines,
- 3 Auditum seu aliorum membrorum officio carens quando non ordinandus.
- 4 Deformitas corporis quae impediunt ordines.
- 5 Bigamus ordinari non potest.
- 6 Bigamia triplex.
- 7 Inuitus quis an possit ordinari.
- 8 Beneficiatus cogit potest ad suscipiendum ordines suo beneficio competentes.